102

BIBLIOTHECA NACIONAL
SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS
RIO DE JANEIRO

AN
ASUNCION

1774-1843

1 fl

8 Fojas

I-29,24,9

I-29,24,9
Gregorius P.P. XVI
Breves de Sua Santidade Gregorio XVI, atendendo as solicitações do governo do Paraguai, sôbre reduções de dias santificados, dispensa de impedimentos, etc
Nº 298 do Cat. da Col. Visc. Rio Branco.

Cat. 298

7 docs

2

P-4-A.
7 doc.

I 29,24,9

I-29,24,9
AN ASUNCIÓN
BIBLIOTHECA NACIONAL
SECÇÃO de MANUSCRIPTOS
RIO DE JANEIRO

Breves de Su Santidad el Papa Gregorio XVI, que contienen las facultades concedidas á solicitud del Gobierno dela República para la reduccion de dias festivos, dispensacion de impedimentos é irregularidades, conmutacion de votos, &ª

Volum. 93.
Num. 1º

429
430

I-29,24,9

Ex Audientia SSmi
Die 10. Augusti 1842

AN Asunción
Bibliotheca Nacional Secção de Manuscriptos Rio de Janeiro

2

Nomine eorum, qui res publicas dissitae regionis de Paraguay in America Meridionali moderantur, per Apostolicae Sedis in Brasiliae Imperio Internuntium nuper fuit expositum quemadmodum Ecclesia illa suo Pastore non ita pridem viduata, et Cathedrali Capitulo quod Episcopalem Jurisdictionem exciperet, deficiente, omnium Dioeceseos Parochorum conventus […] Sedis auctoritate, ecclesiastico viro So[…] Ecclesiam subjectumque ei Clerum […]versalitatem causarum provisorie de[…] benignitate eidem Vicario Generali […]eos Parochis facultas tribuatur […]eclae orbitatem, et ingentem locorum d[…]o destituti ab hac vita decedant. […] PXVI spirituali comodo Catholici[…] omnium Ecclesiarum sollicitud[…]bi praesunt peculiari favore ac carit[…]ngregationis ecclesiasticis extraordi[…]uidem electionem seu deputationem […] posset ob non servatam canonica[…] Episcopo viciniore, non obstante e[…]stici juris qui forsan in ipsam irrepseri[…] opus sit, sanatione eorum quae ab[…]quam Vicario Generali provisorio […]ne nullitatis argui possent, eumdem i[…] Apostolica confirmavit, adeo ut Eccles[…] aliter provisum fuerit, legitime […]ure vel de consuetudine Vicarii […]nctitas Sua ut saepius enunciatus Sacerdos Josephus Vincentius Orue, quousque in supradicto munere perduraverit, ex speciali Apostolicae Sedis delegatione possit valide liciteque intra fines Dioeceseos de Paraguay Sacramentum Confirmationis conferre, simulque subdelegare Parochos pro tempore existentes in locis vulgo de Pilar, de Concepcione, et S. Isidori ad idem Sacramentum tum in suis respective Paroeciis, tum vicissim, si necessitas postulet, in unaquaque illarum administrandum: ita tamen ut tam ipse quam subdelegandi utantur sacris oleis a Catholico Antistite cum eadem Apostolica Sede communionem

I-29,24,9
AN Asunción

1

INSTRUCTIO
EDITA IUSSU
SACRAE CONGREGATIONIS
DE PROPAGANDA FIDE
PRO SIMPLICI SACERDOTE
SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS
EX SEDIS APOSTOLICAE DELEGATIONE
ADMINISTRANTE.

Bibliotheca Nacional Secção de Manuscriptos Rio de Janeiro

I-29,24,9

AN

BIBLIOTHECA NACIONAL SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS RIO DE JANEIRO

Ex Audientia SSmi
Die 10. Augusti 1842

Nomine eorum, qui res publicas dissitae regionis de Paraguay in America Meridionali moderantur, per Apostolicae Sedis in Brasiliae Imperio Internuntium nuper fuit expositum quemadmodum Ecclesia illa suo Pastore non ita pridem viduata, et Cathedrali Capitulo quod Episcopalem jurisdictionem exciperet, deficiente, omnium Diaeceseos Parochorum conventus habitus fuerit, atque in eo ex praesumpta etiam S. Sedis auctoritate, ecclesiastico viro Josepho Vincentio Orné munus commissum praedictam Ecclesiam subjectumque ei Clerum ac populum regendi titulo Vicarii Generalis ad universalitatem causarum provisorie deputati. Supplicatum praeterea fuit ut ex Apostolica benignitate eidem Vicario Generali ita provisorie electo, nec non tribus memoratae Diaeceseos Parochis facultas tribuatur Sacramentum Confirmationis conferendi, ne scilicet ob Ecclae orbitatem, et ingentem locorum distantiam plures ex illis fidelibus tam salutari auxilio destituti ab hac vita decedant. Porro SSmus D. N. Gregorius divina providentia PP. XVI spirituali comodo Catholici gregis in supradicta Diecesi degentis pro pastorali sua omnium Ecclesiarum sollicitudine prospicere cupiens, atque Eos qui publicis rebus inibi praesunt peculiari favore ac caritate prosequens, referente me infrascripto Secretario S. Congregationis ecclesiasticis extraordinariis negotiis administrandis praepositae, primum quidem electionem seu deputationem praenunciati Vicarii, de cujus legitimitate dubium oriri posset ob non servatam canonicam regulam de adeundo ea de causa Metropolitano vel Episcopo viciniore, non obstante ejusmodi et quocumque alio vitio, seu defectu ecclesiastici juris qui forsan in ipsam irrepserit, ratam habuit ac probavit, deinde praevia, quatenus opus sit, sanatione eorum quae ab supra memorato R. D. Josepho Vincentio Orné tanquam Vicario Generali provisorio gesta sunt, quaeque ob dubium de legitima deputatione nullitatis argui possent, eumdem in munere Vicarii Sede Episcopali vacante auctoritate Apostolica confirmavit, adeo ut Ecclesiam et Diaecesim de Paraguay, donec ab Sancta Sede aliter provisum fuerit, legitime administret cum omnibus facultatibus, quae vel de jure vel de consuetudine Vicarii Capitularis officium consequuntur. Annuit insuper Sanctitas Sua ut saepius enunciatus Sacerdos Josephus Vincentius Orné, quousque in supradicto munere perduraverit, ex speciali Apostolicae Sedis delegatione possit valide liciteque intra fines Diaeceseos de Paraguay Sacramentum Confirmationis conferre, simulque subdelegare Parochos pro tempore existentes in locis vulgo de Pilar, de Conceptione, et S. Isidori ad idem Sacramentum tum in suis respective Paroeciis, tum vicissim, si necessitas postulet, in unaquaque illarum administrandum: ita tamen ut tam ipse quam subdelegandi utantur sacris oleis a Catholico Antistite cum eadem Apostolica Sede communionem

430

habente confectis, caeteraque servent a sacris canonibus praescripta, de quibus agitur in adjecta instructione typis edita. Ut autem in tanta praedictarum regionum ab Apostolica Sede longinquitate spiritualibus illorum fidelium necessitatibus magis consultum sit, voluit SSmus. Dominus praedictum Vicarium peculiaribus instrui facultatibus quae in adjunctis formulis descriptae inveniuntur, quasque perdurante munere intra ipsam Dioecesim de Paraguay exercere possit ac valeat. Super quibus omnibus possit praesens edi decretum et in acta ejusdem S. Congnis referri. Contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis minime obstituris.

Datum Romae e Secretaria ejusdem S. Congnis die, mense, et anno praedictis.

Joannes Brunelli Secretarius

I-29, 24, 9
AN ASUNCIÓN
1

INSTRUCTIO
EDITA IUSSU
SACRAE CONGREGATIONIS
DE PROPAGANDA FIDE
PRO SIMPLICI SACERDOTE
SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS
EX SEDIS APOSTOLICAE DELEGATIONE
ADMINISTRANTE.

BIBLIOTHECA NACIONAL
SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS
RIO DE JANEIRO

DECRETUM

SACRAE CONGREGATIONIS GENERALIS DE PROPAGANDA FIDE.

Habitae die 21. Martii 1774.

Referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, nonnullos Missionum Superiores, aliosque, quibus ab Apostolica Sede extraordinaria Sacramentum Confirmationis administrandi facultas conceditur, in illius administratione usos quandoque esse vestibus, ac ornamentis Episcopalibus: Eminentissimi Patres declararunt; ac vigore praesentis Decreti declarant, nemini prorsus charactere Episcopali non insignito, vel cui alias usus Pontificalium ex vero, legitimoque privilegio non competit, licuisse, vel licere in collatione Chrismatis adhibere Rochettum, Mitram, Baculum Pastorale, Annulum, vel Crucem pectoralem; statueruntque supplicandum esse Sanctissimo pro approbatione huius declarationis, necnon efformandam Instructionem pro simplicibus Sacerdotibus Confirmationem, ut supra, administrantibus.

Facta vero SS. Domino Nostro Clementi PP. xiv. per praefatum Dominum Secretarium in audientia diei 3. Aprilis currentis supradictae Sacrae Congregationis sententiae relatione, Sanctitas Sua illam benigne approbavit, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari mandavit.

Datum Romae ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis die 23. Aprilis 1774.

JOSEPH MARIA CARD. CASTELLI PRAEF.

Stephanus Borgia Secretarius.

INSTRUCTIO

Pro simplici Sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicae Delegatione administrante.

Etsi, juxta Sacrosancti Tridentini Concilii definitionem solus Episcopus sit ordinarius hujus Sacramenti minister (1); solet tamen, quandoque justis de caussis Sedes Apostolica simplici Sacerdoti, tamquam extraordinario ministro, facultatem tribuere illud conferendi (2).

Sacerdos igitur, cui facultas haec fuerit concessa, in primis curet apud se habere Chrisma, per Catholicum Antistitem cum eadem S. Sede communionem habentem confectum, ac sciat, sibi numquam licere (3) sine eo Confirmationem administrare, vel illud ab Episcopis haereticis, aut schismaticis recipere.

Animadvertat insuper, num in facultate sibi ab Apostolica Sede impertita alia etiam facultas expressa legatur, utendi scilicet Chrismate ante annum benedicto, alias eo non utatur, nisi forte in casibus necessitatis (4), cum a sacris canonibus id prohibitum sit (5).

Licet omni tempore administrari valeat Confirmatio, congruum tamen est, ut praecipue in hebdomada Pentecostes, et circa horam tertiam, in qua Spiritus Sanctus illapsus est Apostolis, conferatur (6).

Quo ad aetatem Confirmandorum attinet, prae oculis habendum est Catechismi Romani (7) monitum in haec verba: *Illud observandum est, omnibus quidem per Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedite hoc fieri, antequam pueri usum rationis habuerint; Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit*: Quod sane monitum in pueris benevalentibus locum habet. Nam, si agatur de eo, qui gravi morbo laboret, ex quo decessurus praevideatur, non solum prohibitum non est illi ante septennium sacrum Chrisma administrare, sed expedit, ut id fiat, unde ex hac vita demigrans majorem gloriam, juxta S. Thomae doctrinam (8), in coe-

---

(1) Sess. 7. *de Confirm.* can. 3.

(2) Eugen. IV. in Decret. pro Armenis.

(3) S. Thomas 3. par. quaest. 72. art. 5. in corp.

(4) Bened. XIV. Constit. *Anno vertente* Bull. Tom. 3. pag. 288.

(5) Can. *Litteris* de Consecr. dist. 3., et Can. *Si quis de alio* de Consecr. dist. 4.

(6) Catech. Rom. de Sacram. Confirmat. S. Carolus in V. Synodo Mediolanen. cap. de Confirm.

(7) Loc. cit.

(8) S. Tom. 3. par. quaest. 73. art. 8. ad 4.

BIBLIOTHECA NACIONAL
SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS
RIO DE JANEIRO

lis consequatur. Aliae insuper, juxta probatam plurium Theologorum sententiam (1), esse possunt legitimae causae antevertendi septennium in collatione hujus Sacramenti, et praesertim, cum praevidetur futura diutina absentia Episcopi, vel Presbyteri, cui, ut supra, facta sit facultas illud administrandi, vel alia urget necessitas.

Ut Confirmandi, qui usum rationis habent, digne hoc Sacramentum recipiant, debent esse in gratia, et ideo conveniens valde est, ut illius susceptioni praemittant Sacramentalem Confessionem (2). Si enim conscii alicujus peccati laethalis, quod absit, ad Confirmationem accederent, non solum hujus Sacramenti gratiam non reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent.

Juxta veterem Ecclesiae usum, Confirmandi deberent esse jejuni (3), optandumque propterea esset, ut id ipsum in praesenti etiam servaretur.

Sacro Chrismate liniendi ante diligenter erudiendi sunt juxta doctrinas Catechismi Romani de natura, dignitate, effectibus, ac dispositionibus ad digne Sacramentum hujusmodi recipiendum praerequisitis. Item oportet, ut instruantur circa Fidei rudimenta, Decalogi, et Ecclesiae praecepta, Actus Virtutum Theologalium, ac Orationem Dominicam, et Apostolorum Symbolum memoria teneant.

Ceterum Missionarii non omittant populos sibi creditos etiam hortari, ut Confirmationem debito tempore recipiant, nec non ut parentes filios suos confirmari curent; etsi enim hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest, ac negligi (4), cum illud suscipiendi opportuna adest occasio. Porro haec doctrina, si pro omnibus, qui sunt undique, Christifidelibus vera est, multo magis locum habet in illis, qui in terris degunt haereticorum, vel paganorum, in quibus, quandoque adversus Catholicos persecutiones ingruunt; unde opus est, ut septiformis Spiritus virtute roborentur, qua non solum corde credant ad justitiam, sed etiam ore confessionem faciant ad salutem, seque paratos exhibeant pro Christo etiam sanguinem fundere.

Cum hoc Sacramentum indelebilem in anima characterem imprimat, reiterari non debet, et propterea qui est confirmatus ad illud recipiendum non audeat accedere, sicuti nec excommunicatus, interdictus, in divinis communicans cum haereticis, aut schismaticis, vel qui ritus idolatricos usurpat, sive alio modo publice peccat; item qui praeceptum paschale non adimpleverit.

---

(1) Bened. XIV. in lib. 7. cap. 10. n. 5. 6. et 7. de Synodo Dioeces.

(2) Instructio Eminentiss. Almae Urbis Vicarii pro iis, qui suscepturi sunt hoc Sacramentum an. 1773.

(3) Catech. Rom. de Confirm.

(4) Bened. XIV. in Constit. *Etsi Pastoralis* §. 3. n. 4. Bull. Tom. I.

Caveant Confirmandi ne sordida fronte (1), capillisque impexis ad hoc Sacramentum accedant, vestibus tamen sint induti, quemadmodum et Patrini, simplicibus, et ad modestiam compositis. Mulieres vero illud suscepturae, et quae Matrinarum officium exercebunt, non se in Ecclesia cum vanis ornamentis, aut fucata facie, sed cum omni modestia, et reverentia praesentent.

Si quis ex confirmandis turpe nomen, vel Christiano homini non conveniens, haberet, aliud in Confirmatione assumat (2).

Quamquam de necessitate hujus sacramenti non sit, ut in eo recipiendo Patrinus, vel Matrina adhibeatur, id tamen laudabilis Ecclesiae consuetudo suadet, sacrique canones praescribunt (3).

Ab hoc vero munere excluduntur tum minores annis quatuordecim (4), tum qui Sacramentum Confirmationis nondum receperunt (5); Verum quia contigere potest, ut in locis Missionum nullus adsit, qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine Patrino confirmentur, qui postea Patrini ceterorum esse poterunt.

Ad Patrinos hujusmodi quod attinet, hae insuper regulae erunt observandae. I. Ut non plures (6), sed unus tantum, sive vir, sive mulier in Patrinum, aut Matrinam adhibeatur. II. Ut nec feminis mares (7), nec maribus feminae Patrini officium praestent, sed suo quisque sexui Patrinus adhibeatur. III. Ut nisi necessitas cogat (8), idem non sit, sed diversus Confirmationis Patrinus a Patrino Baptismi. IV. Ut a Patrini munere arceantur excommunicati (9), interdicti, publici peccatores, aut qui praeceptum paschale omiserint.

Circa cognationem spiritualem, quae in hoc Sacramento contrahitur, haec statuit Tridentina Synodus (10): *Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem, et Confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Quod quidem Concilii decretum locum habet in iis, qui ad Tridentini statuta servanda adstringuntur. Ceteri vero disciplinae in suis regionibus vigenti hac in parte se conforment.

Cum tempus advenerit, quo Sacerdos utens facultate sibi ab

---

(1) Concil. Aquense an. 1585. Instructio supradicta.

(2) Concil. Aquense an. 1585., Concil. Tolosan. anni 1590., S. Carol. Borrom. in V. Synodo Mediolanen.

(3) Sacramentar. S. Gregor. M. Ordo Romanus apud Hittorpium.

(4) Instructio praedicta.

(5) Can. *In Baptismate* 102. de Consecrat. dist. 4.

(6) Can. *Non plures* 101. dist. 4.

(7) Pontific. Rom.

(8) Can. *In Catechismo* 100. de Consecr. dist. 4.

(9) Pontific. Rom.

(10) Sess. 24. de Reform Matrimonii cap. 2.

BIBLIOTHECA NACIONAL SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS RIO DE JANEIRO

Apostolica Sede, ut supra, tributa, administrare Confirmationem intendit, vestibus Sacerdotalibus, vel saltem alba, et Stola indutus stans ante Altare versus ad populum hinc inde dispositum (masculis a dexteris, feminis vero a sinistris) circumstantes summarie de praemissis admoneat, eisque praesertim denunciet, quod nullus alius nisi solus Episcopus Confirmationis ordinarius minister est; se vero paratum esse illam conferre jure per S. Sedem delegato.

Mox delegationis decreto, sive brevi Apostolico lingua vernacula alta, et intelligibili voce lecto, iterum moneat adstantes, quod nullus Confirmatus discedat, nisi benedictione accepta, quam ipse post omnium Confirmationem daturus est: Item, quod infantes, si quos in prima aetate justa de causa confirmandos existimaverit, per Patrinos teneantur in brachiis dexteris, et quod adulti ponant pedem suum super pedem dexterum Patrini sui.

Hac altera monitione completa (1) pariter stans, et versa facie ad Confirmandos, junctis ante pectus manibns, Confirmandis vero genua flectentibus, et manu ante pectus junctas tenentibus, dicit:

℣. *Spiritus Sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis.* ℟. *Amen.*

Deinde signans se manu dextera a fronte ad pectus signo Crucis dicit:

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit coelum, et terram.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Tunc extensis versus Confirmandos manibus, dicit:

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, et Spiritu Sancto; quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de coelis. ℟. *Amen.*

Spiritum Sapientiae, et Intellectus.
℟. *Amen.*
Spiritum Consilii, et Fortitudinis.
℟. *Amen.*
Spiritus Scientiae, et Pietatis.
℟. *Amen.*

Adimple eos Spiritu Timoris tui, et consigna eos signo Cru † cis Christi in viam propitiatus aeternam. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. ℟. *Amen.*

---

(1) Pontific. Rom.

AN ASSUNCIÓN

Post haec Sacerdos confirmat per ordinem genuflexos, primos mares, secundo feminas. Uno ordine confirmato illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem. Inquirit autem singillatim de nomine cujuslibet Confirmandi sibi per Patrinum, vel Matrinam flexis genibus praesentati, et summitate pollicis dexterae manus Chrismate intincta dicit:

N. Signo te signo Cru † cis: quod dum dicit producit pollice signum Crucis in frontem illius, deinde prosequitur: *et Confirmo te Chrismate salutis. In nomine Pa † tris, et Fi † lii, et Spiritus † Sancti.* ℟. *Amen.* Deinde leviter in maxilla caedit, dicens: *Pax tecum.*

Ligandae essent vitta linea recens Confirmatorum frontes juxta Pontificalis Romani praescriptum (1). Verum quoniam publica vittarum delatio apud infideles ludibrio exponere posset Sacramentum, ideo, si praevideatur hoc scandalum eventurum, consultius erit, vittas hujusmodi non adhibere; sed in hoc casu opus erit, ut Sacerdos, postquam frontes Confirmandorum linierit Sacro Chrismate, eas gossypio, mox comburendo, diligenter abstergat, ac deinde lavet (2).

Omnibus confirmatis, tergit cum mica panis, et lavat pollicem, et manus super pelvim: deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam Sacrarii, in qua reponi debent etiam supradictorum gossypiorum cineres.

Dum lavat manus, si adsint ministri, cantatur, vel legitur sequens Antiphona; alias post lotionem ab ipso Sacerdote dicatur: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem. Gloria Patri etc.* et repetitur Antiphona tono octavo: *Confirma hoc Deus etc.* qua repetita, conversus ad Altare junctis ante pectus manibus dicit.

℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*
℟. *Et salutare tuum da nobis.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Junctis vero adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genuflectentibus dicit:

Oremus.

Deus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos, eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum, et praesta, ut eorum corda, quorum fronte sacro Chrismate delinivimus, et signo Sanctae Crucis signavimus, idem Spiritus Sanctus in eis superveniens, templum gloriae suae dignanter in-

---

(1) De Confirmandis.
(2) S. Carolus Borrom. in dict. V. Synodo Mediolan.

BIBLIOTECA NACIONAL RIO DE JANEIRO

habitando perficiat : Qui cum Patre , et eodem Spiritu Sancto vivis , et regnas Deus in saecula saeculorum. ℟. *Amen.*

Deinde dicit : *Ecce sic benedicetur omnis homo , qui timet Dominum* : et vertens se ad Confirmatos , ac faciens super eos signum crucis pariter dicit :

Bene ✝ dicat vos Dominus ex Sion , ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitae vestrae , et habeatis vitam aeternam. ℟. *Amen.*

Expedita hoc pacto Confirmatione, Sacerdos sedens , juxta memoratum Pontificale Romanum (1). Patrinos , et Matrinas monet , quod instruant filios suos bonis moribus , unde fugiant mala , et faciant bona , et si forte in infantili aetate essent confirmati , ut suo tempore doceant eos *Credo in Deum* , *et Pater noster* , *et Ave Maria* , quoniam ad hoc sunt obligati.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter , et praesertim tunc cum in privatis domibus , vel extra Ecclesiam , seu Oratorium , pueris aegrotantibus , de quibus supra , conferendum est , vel etiam adultis , qui ad Ecclesiam quacumque ex causa , legitima tamen , accedere nequeunt : In iis casibus Sacerdos non omittat uti saltem Stola , si superpelliceum habere non possit ; cavere etiam debet , ne coram haereticis , aut schismaticis , et multo minus eis ministrantibus , confirmet.

Quod si tandem per Sedem Apostolicam alicui fieri potestatem contingat Confirmationem administrandi in regionibus , in quibus , praeter Latinos , degunt Orientales Catholici , non modo opus erit, ut supradicta diligenter observet , sed curabit etiam priusquam Orientalibus ipsis hoc Sacramentum conferat , ab Apostolica Sede instructionem petere , quo pacto se gerere debeat erga Orientales uniuscujusque ritus.

Ut autem congruum quantocius responsum accipiat, de nonnullis S. Congregationem de Propaganda Fide singillatim certiorem reddat oportet. Et primo quidem cujus ritus sint Orientales hujusmodi : an fuerint a quoquam confirmati , et a quibus , videlicet an a suis Episcopis , vel a Presbyteris , propriae nationis , an sponte petant confirmari ; an Confirmationem commode a suis Episcopis recipere valeant ; ac tandem an Confirmatio administranda sit in Dioecesi , in qua actu resideat Episcopus Orientalis , qui sit Confirmandi Ordinarius.

Quam Sacrae Congregationis instructionem SS. D. N. Clementi XIV. per me infrascriptum Secretarium ejusdem S. Congregationis relatam in Audientia habita die prima Maii anni currentis Sanctitas Sua illam benignè in omnibus adprobavit , et omnino servari mandavit.

Datum Romae ex Aedibus Sac. Congreg. die IV. Maii MDCCLXXIV.

Stephanus Borgia Secretarius.

---

(1) Loc. cit.

I-29,24,9

I-29,24,9

Ex Audientia SSmi habita die 14. Augusti 1842. 3

SSmus Dominus Noster Gregorius Divina Providentia PP. XVI. referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, R. D. Josepho Vincentio Orue Vicario Capitulari Dioecesis de Paraguai in America Meridionali sequentes facultates durante munere benigne concessit.

1. Dispensandi cum Catholicis ejus spirituali jurisdictioni subjectis super quocumque, seu quibusvis Consanguinitatis, et affinitatis graduum impedimentis, immo in Tertio quoque et Secundo cum attingentia Primi gradus affinitatis in linea transversali, dummodo nullo modo attingat Consanguinitatis Primum, nec non super impedimento Primi gradus Affinitatis ex copula tantum illicita resultantis, sive per lineam collateralem sive rectam, dummodo certe constet, quod Conjux non sit proles ab altero Contrahentium genita, ut matrimonium inter se contrahere, seu etiam in eo scienter contracto, renovato tamen consensu coram Parocho, et Testibus remanere valeant, ac eos, qui in gradibus hujusmodi scienter contraxerint ab excessibus, et excommunicationibus, aliisque censuris, et poenis Ecclesiasticis, injuncta prius pro modo culpae poenitentia salutari in utroque foro absolvendi, et prolem inde susceptam legitimam decernendi.

2. Dispensandi gratis omnino cum Catholicis pauperibus ejus spirituali jurisdictioni subjectis, et qui ad Sanctam Sedem recurrere nequeunt super impedimentis tum Primi gradus Affinitatis in linea collaterali ex copula licita provenien, tum secundi gradus Consanguinitatis admixti cum Primo in linea transversali in matrimoniis contrahendis, quatenus concurrat necessitas, cum facultate contrahentes absolvendi, dummodo opus sit, ab incestus reatu, et censuris, et prolem tam susceptam, quam suscipiendam legitimam decernendi.

3. Dispensandi itidem cum iisdem Catholicis Quindecim tantum in casibus super impedimento Cognationis Spiritualis inter Levantem, et Levatum.

4. Dispensandi Decem tantum in casibus, ut licite matrimonium contrahere possit Catholicus extra Ecclesiam coram Parocho, et duobus Testibus, absque ulla benedictione, omissis proclamationibus, aliisque

Ecclesiasticis solemnitatibus cum Acatholica, et vicissim, ac si jam contractum fuerit in eodem licite manere; praescriptis tamen conditionibus, ut proles utriusque sexus in Catholica Religione prorsus educetur, ut periculum perversionis a parte catholica removeatur, utque omni studio acatholicae partis conversio curetur.

Dat. Romae ex aed. d. S. Sat. Congnis die et anno quibus supra

Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo

J. M. Ildefonso

BIBLIOTHECA NACIONAL
SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS
RIO DE JANEIRO

I-29,24,9

I-29,24,9

Duplicatum

Die 17 Decembris 1842

Ex Audientia SSmi

BIBLIOTHECA NACIONAL
SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS
RIO DE JANEIRO

5

I-29,24,9

F. 4.

FAcultates concessae à SS. D. N. D. Gregorio Div. Provid. PP. XVI. R. D. Josepho Vincentio Orne Vicario Capitulari Dioecesis de Paraguai in America Meridionali

1. DIspensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt; & in his etiam duobus casibus, si præcisa necessitas Operariorum ibi fuerit, si tamen quoad homicidium voluntarium ex hujusmodi dispensatione scandalum non oriatur.

2: Dispensandi, & commutandi vota simplicia etiam Castitatis ex rationabili causa in alia pia opera, non tamen Religionis,

3. Absolvendi, et dispensandi in quacumque simonia, et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus malè perceptis, injuncta aliqua eleemosyna, vel poenitentia salutari arbitrio dispensantis, vel etiam retentis beneficiis, si fuerint Parochialia, et non sint, qui Parochiis praefici possint.

4. Dispensandi in 3. & 4. Consangu. & Affinit. simplici, & mixto tantum, & in 2. 3. & 4. mixtis, non tamen in 2. solo quoad futura matrimonia; quo verò ad præterita etiam in 2. solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum iis, qui ab Hæresi, vel Infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, & in prædictis casibus, prolem susceptam declarandi legitimam.

5. Dispensandi super impedimento publicæ honestatis, justis ex sponsalibus proveniente.

6. Dispensandi super impedimentis criminis, neutro tamen Conjugum machinante, ac restituendi Jus petendi debitum amissum.

7. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter levantem, & levatum.

8. Hæ verò Matrimoniales dispensationes, videlicet 4. 5. 6. & 7. non concedantur nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, & si rapta fuerit in potestate raptoris non existat, neque in utroque foro ubi erunt Episcopi, sed in foro conscientiæ tantùm, & in illis expediendis, tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ.

9. Dispensandi cum Gentilibus, & Infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem, & Baptismum, quam maluerint ex illis, si etiam fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

10. Absolvendi ab Hæresi, & Apostasia à Fide, & a Schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos, tam Sæculares, quam Regulares, non tamen eos, qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium

4

BIBLIOTHECA NACIONAL
SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS
RIO DE JANEIRO

434

438

exercetur, nisi in locis Missionum, in quibus impune grassantur Hæreses deliquerint, nec illos, qui Judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint, ubi impunè grassantur Hæreses, & post judicialem abjurationem, illuc reversi, in Hæresim fuerint relapsi, & hos in ſoro conscientiæ tantum.

11. Absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis.

12. Benedicendi Paramenta, et alia Utensilia pro Sacrificio Missæ.

13. Recitandi Rosarium, vel alias Preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel Divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.

14. Reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, & in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo, & hujusmodi facultatem communicandi simplicibus Sacerdotibus.

15. Consecrandi Calices, Patenas, & Altaria portatilia cum Oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas dietas, vel Sedes vacet.

16. Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum, & lacticinorum tempore Jejuniorum, & præsertim Quadragesimæ.

17. Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, per unam horam ante Auroram, & aliam post Meridiem, in Altari portatili, sine Ministro, sub dio, & sub terra, in loco tamen decenti, etiamsi Altare sit fractum, vel sine Reliquiis Sanctorum, & præsentibus Hæreticis, Schismaticis, infidelibus, & excommunicatis, dummodò Minister non sit Hæreticos, aut excommunicatus, ac aliter celebrari non possit. Hujusmodi autem facultate bis in die celebrandi nullatenus uti liceat, nisi rarissime, &ex gravissimis, & urgentissimis causis, in quo graviter ejus conscientia oneratur. Quod si ad præsens, aut in posterum quandocumque aderit Episcopus, aut Vicarius Generalis, aut Capitularis, sive Vicarius Apostolicus, ad cujus Diœcesim, seu administrationem pertineant loca, ubi secundo celebrari contingerit, præfata facultas bis celebrandi nullius prorsus sit roboris, ac momenti, nisi prius prædicto Episcopo, aut eo absente, ipsius Vicario Generali, aut respective Capitulari, aut Vicario Apostolico fuerit exhibita, ab eoque examinatæ, & approbatæ fuerint in scriptis causæ ea utendi, nec aliter concessa intelligatur, quàm juxta moderationem ab ipso apponendam, & non alias; cujus Episcopi, seù Vicarii conscientia oneratur, ut non nisi ex urgentissimis causis, ut supra dictum est, & ad breve tempus ea uti permittat. Quam tamen facultatem poterit Episcopus, seu Vicarius, si in Domino visum fuerit expedire, ad aliud breve tempus pluries, & eadem servata forma, prorogare intra tempus in hac facultate à Saneta Sede concessum, & non ultra. Idipsum autem prorsus servetur ab iis, quibus hæc eadem facultas celebrandi bis in die, juxta potestatem inferius apponendam, communicata fuerit, adeo ut

I-29,24,9
Duplicatum
BIBLIOTHECA NACIONAL SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS

nemo ex ipsis nisi juxta moderationem ab Episcopo, vel ejus Vicario Capitulari, vel Generali, seu Vicario Apostolico, ut dictum est, singulis apponendam, hujusmodi facultate uti valeat, injuncto eorumdem Episcoporum, seu Vicariorum conscientiæ, ut ultra superius dicta, non omnibus indifferenter, quibus fuerit communicata, sed paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiæ, ac zeli, & qui absolutè necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, & ad breve tempus, ut dictum est, facultatem quoad hoc communicatam, approbet.

BIBLIOTHECA NACIONAL SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS RIO DE JANEIRO

18. Concedendi Indulgentiam plenariam primo conversis ab Hæresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt.

19. Concedendi Indulgentiam plenariam in Oratione 40. horarum, ter in anno indicenda diebus bene visis, contritis, confessia, ac Sacra Communione refectis, si tamen ex concursu populi, & expositione Sanctissimi Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab Hæreticis, seu Infidelibus, vel à Magistratibus offensum iri.

20. Lucrandi sibi easdem Indulgentias.

21. Singulis secundis feriis non impeditis Festis 9. lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrando Missam de Requiem in quocumque Altari, etiam portatili, liberandi animam secundum eorum intentionem a Purgatorii pœnis per modum suffragii.

22. Deferendi Sacratissimum Sacramentum occulte ad Infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab Hæreticis, aut Infidelibus sit periculum sacrilegii.

23. Induendi vestibus, sæcularibus, si aliter, vel transire, vel permanere non poterit in locis Missionum.

24. Tenendi, & legendi, non tamen aliis concedendi, præterquam iis Missionariis, quibus in Domino sibi expedire videbitur, libros Hæreticorum, vel Infidelium, de eorum Religione tractantium, ad effectum eos impugnandi in scriptis, vel in voce, & alios quomodolibet prohibitos, præter Opera Caroli Molinei, Nicolai Macchiavelli, Historiam Civilem Regni Neapolis Petri Giannone, Poema inscriptum la Pucelle d'Orleans, & librum, cui titulus De l'Esprit, Istruzioni intorno la S. Sede, tradotta dal Francese 1765. = Oeuvres philosophiques de Monsieur de la Metrie, Les Colimaçons; Abregè de l'Histoire Ecclesiastique sub mentito nomine Fleury, Riflessioni d'un Italiano sopra la Chiesa in generale, sisteme de la nature, il vero dispotismo Londra 1770., la Raison par Alphabet, & Joannis Laurentii Isembielh novum Tentamen in Prophetiam de Emmanuele, Histoire Critique de Jesus Christ, Nouvaux Mèlanges Philosophiques Historiques Critiques, nec non Libellum, cui titulus = Universalis Professio Fidei omnium Religionum ac Eybel de Auriculari Confessione 1784., & alterum ejusdem

435
438

Auctoris inscriptum = Quid est Papa?

ac libros de Astrologia Judiciaria principaliter, aut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractanctes, ita tamen, ut libri ex ipsis Provinciis non efferantur.

25. Administrandi omnia Sacramenta, etiam Parochialia, Ordine, & Confirmatione exceptis, & quoad Sacramenta Parochialia in Diœcesibus; ubi non erunt Episcopi, vel Ordinarii, aut eorum Vicarii, vel in Parochiis, ubi non erunt Parochi, vel ubi erunt, de eorum licentia.

26. Communicandi has facultates in totum, vel in parte Fratribus suæ Missionis, quos Sacra Congregatio de Propaganda Fide destinaverit, & approbaverit, & non aliis, tam pro omnibus locis in ea Missione contentis, quàm pro aliquibus eorum, & ad tempus sibi bene visum, prout magis in Domino expedire judicaverit, necnon, quatenus opus fuerit, revocandi, sivè etiam moderandi, tam circa illarum usum, quàm circa loca, & tempus easdem exercendi, quod etiam, eo absente, Vice ——— intelligatur concessum, ita tamen, ut nec eidem ——— aut Vice ——— nec ipsorum cuilibet liceat eisdem ullo pacto uti extra fines suæ Missionis; tempore verò sui obitus liceat eidem si in Missione præsens ~~fuerit, hanc eamdem ——— facultatem alteri communicare;~~ si verò fuerit absens hoc ipsum Vice ——— tempore obitus ipsius Vice ——— concessum intelligatur, ut sit, qui interim possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quàm primùm fieri debebit per Delegatum, alio modo provideat.

27. Et prædictæ facultates gratis, & sine ulla mercede exerceantur, & durante munere tantùm concessæ intelligantur.

Ex audientia SSmi habita die 16 Augusti 1842.
SSmus Dominus Noster Gregorius Div. Provid. PP. XVI. referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, R. D. Josepho Vincentio Orne Vicario Capitulari Dioecesis de Paraguai in America Meridionali supradictas facultates durante munere benigne concessit, dummodo tamen iis nullo modo utatur extra fines praefatae Dioecesis —
Datum Romae ex aed. dic. Sac. Congnis die et anno quibus supra
Gratis sine ulla omnino solutione quocumque titulo

J. W. Cesson

I-29,24,9

Duplicatum

5

Die 14 Decembris 1842

Ex Audientia SSmi

BIBLIOTHECA NACIONAL
SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS
RIO DE JANEIRO

Expositum nuper est SSmo Dno Nostro Gregorio divina providentia PP. XVI, quemadmodum in regione de Paraguay in America Meridionali ex dierum festorum pluralitate, licet eam etiam in finem inductae ut homines a quotidianis laboribus aliquantulum sublevarentur, multa tamen bona detrimenta incolarum plerique obveniant, qui ex agrorum cultura et negotiatione omne salutis emolumentum, atque ipsam vitae usuram recipiunt; unde non raro divini et ecclesiastici ordinis praecepti violatio, magna cum spirituali fidelium jactura, subsequitur. Accedit quod item, ob nimiam praediorum a paroeciis distantiam, iis quoque diebus quibus dumtaxat audiendi Sacrum praeceptum urget, facultate vacandi operibus laboriosis ac servilibus frui nullimode queant. Itaque eorum etiam nomine, qui res publicas inibi moderantur SSmo Dno Nostro supplicatum est, ut suprad enunciatis incommodis, per festorum dierum quoad utramque obligationem Sacri audiendi et operibus servilibus non vacandi imminutionem, Apostolica auctoritate benigne consuleret. Hisce porro, me infrascripto Secretario S. Congregationis Ecclesiasticis Negotiis praepositae referente, serio considerans Sanctitas Sua, atque id opportune recogitans quod S. Leo M. jampridem adverterat, esse scilicet multa, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oportet temperare: satius pro commisso Sibi Pastorali munere existimavit regionis industriae consulere, atque insimul pauperibus, inopibusque hominibus faciliorem ad vitam sustentandam viam aperire, quam per severiorem Ecclesiasticae disciplinae rigorem fideles ipsos in aeternae salutis discrimen adducere. —

Quamobrem ex Apostolica benignitate, deque supremae suae potestatis plenitudine Rdo Dno Josepho Vincentio Orue munus Vicarii Sede episcopali vacante in Paraguayana Dioecesi obeunti committit et mandat, ut, si vera sint exposita, exceptis omnibus diebus Dominicis, Natalis D. N. J. C, Circumcisionis, Epiphaniae Ascensionis Domini, Corporis Xti, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Commemorationis omnium Sanctorum, ac praeterea quinque B. M. V. dicatis, Purificationis nempe, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, nec non Sancti Patroni seu Tutelaris provinciae vel cujuslibet Civitatis aut Oppidi, in

436

quibus integra ex mente Sanctitatis Suae debet manere obligatio tum Sa=
crum audiendi, tum a laboriosis servilibusque operibus abstinendi; in reliquis
quibusque festis diebus sive a Sede Apostolica praeceptis, sive a Synodalibus
Constitutionibus, vel alia quacumque causa praescriptis, omnes ac singulos
universae Dioecesis de Paraguay fideles ab utroque sive Sacri audiendi
sive ab operibus laboriosis et servilibus quibuscumque se sint abstinendi obli=
gatione, praedicta Apostolica auctoritate solvat, prout eidem pro sua prudentia
et conscientia declarat. Committit insuper et mandat praedicto Rmo Illmo
Domino, ut omnes supra memoratae Dioecesis fideles ab jejuniis quae in
pervigiliis dierum festorum imminuendorum hactenus observare consueverunt,
eadem Apostolica auctoritate dispenset, subrogatis tamen eorum vice singulis
feriis sextis et sabbatis tempore Adventus D. N. J. C. occurrentibus, in quibus
jejunare oportebit, ita tamen ut licitus sit lacticiniis et ovorum usus.

Caeterum per ejusmodi indultum nihil novi in sacra Liturgia sive quoad servi=
tium Chori, sive quoad divinorum officiorum celebrationem, aliasque ecclesiasti-
cas functiones inductum voluit Sanctitas Sua. Super quibus omnibus jussit
praesens edi decretum et in acta ejusdem S. Congnis referri. Contrariis quibus=
cumque etiam speciali mentione dignis ac Constitutione praesertim Urbani
PP. VIII quae incipit Universa minime obstantibus.

Datum Romae e Secretaria ejusdem S. Congnis die mense et anno praedictis.

Joannes Brunelli Secrius

I 29 24 9

I-29,24,9

6

BIBLIOTHECA NACIONAL
SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS
RIO DE JANEIRO

Se acompañan á V. Rma en tres piezas datadas en Roma á 16 de Agosto de 1842, y 14 de Diciembre del mismo año las facultades que el Santísimo Padre Gregorio XVI á pedimento del Supremo Gobierno de la República ha concedido al difunto Señor Vicario general interino presbítero ciudadano José Vicente Orué para la reduccion de los dias festivos y para subdelegar á los párrocos de las villas del Pilar, Concepcion, y San Isidro para administrar á sus feligreses el sacramento de la confirmacion con arreglo á la instruccion contenida en el adjunto impreso, confirmando la facultad que para administrarlo en toda la diócesi el mismo Vicario á igual solicitud anterior del Supremo Gobierno, obtuvo del Excelentísimo Señor Internuncio Apostólico, residente en la corte del rio Janeiro.

Así mismo se adjuntan un impreso y otro manuscrito ambos datados en Roma á 14 de Agosto del citado año de 1842 que contienen las facultades concedidas por Su Santidad para dispensar impedimentos é irregularidades, conmutar, absolver, y demas que expresan los mismos documentos.

Todas estas facultades se deben considerar concedidas

438

é inherentes al oficio expresado, y no á la persona que lo obtenia al tiempo de expedirse las letras. En cuya conformidad y en atencion á que Su Santidad ha exceptuado de la solicitada reduccion de dias festivos, todos los que en adelante se deben guardar podrá el actual prelado usar desde luego de las facultades consignada-s en dichos documentos, dando cuenta para los fines consiguientes.

Dios guarde á V. Ilmâ. muchos años. Asuncion Agosto 16 de 1843.

Carlos Antonio Lopez

Mariano Rog. Alonzo

Al Rmo Señor vicario general y Juez eclesiastico_

I-29,24,9

Asuncion Octubre 7 de 1843.

7

BIBLIOTHECA NACIONAL
SECÇÃO DE MANUSCRIPTOS
RIO DE JANEIRO

Como puede ser que por los breves venidos de la santa sede sobre facultades espirituales en causas de matrimonio, se quisiera hacer inovaciones en las dispensas anteriores á dichos breves, que ni como reglamentos, ni como decretos pueden tener una virtud retroactiva, puesto que la misma sede apostólica da por firme y válido cuanto se hubiere hecho antes de la confirmacion del vicariato eclesiástico, y que de tales inovaciones deben resultar trastornos en muchas familias, y penosas diligencias con otras consecuencias no menos graves que perniciosas: dispone el Supremo Govierno de la República que en las dispensas anteriores á los espresados breves no se haga novedad estrepitosa, ó que cause escándalo en las familias ni en los pueblos, y que cuando fuere de absoluta necesidad reparar algunos matrimonios, subsanando su invalidacion, se haga con tal prudencia y caridad que resulte mas amable el espíritu de la santa iglesia, y de los prelados que imitan al divino fundador.

Espera el Govierno que el prelado actual se espedirá en este sentido dando cuenta oficial de lo que hubiese practicado, y de lo que se dispusiere por punto general á este respecto para lo sucesivo.

Carlos Antonio Lopez

Mariano Roq.e Alonzo

Al Rmo vicario general y Juez eclesiástico.

440